

voluptates et bona semper placitura laudavit et palam fecit  
 felicissimum esse cui felicitate non opus est, potentissimum  
 35 esse qui se habet in potestate. Non de ea philosophia loquor  
 quae civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quae  
 virtutem donavit voluptati, sed <de> illa quae nullum bonum 5  
 putat nisi quod honestum est, quae nec hominis nec fortunae  
 muneribus deleniri potest, cuius hoc pretium est, non posse  
 pretio capi.

Hanc philosophiam fuisse illo rudi saeculo quo adhuc  
 artificia deerant et ipso usu discebantur utilia non credo. 10  
 36 †Sicut aut† fortunata tempora, cum in medio iacerent bene-  
 ficia naturae promiscue utenda, antequam avaritia atque  
 luxuria dissociavere mortales et ad rapinam ex consortio  
 <docuere> discurrere: non erant illi sapientes viri, etiam si  
 37 faciebant facienda sapientibus. Statum quidem generis hu- 15  
 mani non alium quisquam suspexerit magis, nec si cui per-  
 mittat deus terrena formare et dare gentibus mores, aliud  
 probaverit quam quod apud illos fuisse memoratur apud quos

nulli subigebant arva coloni;  
 ne signare quidem aut partiri limite campum 20  
 fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus  
 omnia liberius nullo poscente ferebat.

38 Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum  
 natura fruebantur; sufficiebat illa ut parens in tutelam